

- 1441 ideo illis præferenda duximus, quia in Venetis annalibus prius relata reperio. Pacato igitur Galliæ statu Andreas Dandulus ad Babylonium Regem profectus est, publico illi nomine satisfacturus: quod rumor erat, multos mortales Veneta navi ex ejus finibus ad occidentem solem devectos, ibique partim necatos, partim ferviliter divenditos. Ut barbarus igitur & omnes scirent, eam culpam publico consilio abesse, injuriæ auctor, quia accersitus ad diem non affuisset, absens damnatus est; quanquam non multo post, facta illi dicendæ causæ potestate, non solum se fecisse, sed quare etiam oportuisset id facere, Patribus monstravit: atque ob id ipsum dicitur omnibus suffragiis absolutus. Mellita vir gloria militari insignis, deque Veneto imperio optime meritus, vita decessit: cui gratissimus Senatus equestrem statuam Paduæ ad Antonii sanum erigendam curavit. Procuratorum numero tres hoc anno additi, primisque comitiis Alovius Lauretanus est creatus, secundis Paulus Thronus, Franciscus Barbaricus, cognomento Dives, novissimis: atque jam inde qui sex antea fuerant, novem esse cœperunt. Tres onerariæ cum triremi una ad mare latrociniis purgandum eodem tempore in altumeductæ: constans fama erat Gotholanos piratas latrociniis maria infestare. Nec ita multo post ad sinus præsidium quatuor sunt triremes profectæ, quarum imperium Antonio Diedo est datum. Is Antibarim in Epiropaucis per adversam factionem rem ad Venetos trahentibus, vi cepit, captumque Veneto imperio subegit. Ad quartum idus Novembris eodem anno, qui vicesimus secundus ab urbe condita supra millesimum fuit, ita maris inundatio omnia urbis loca obruit, ut aquis longe lateque vagantibus ingens vis mercium sit corrupta: creditum est, decies centena millia aureorum nummum cataclysmum illum negociatoribus decoxisse. A Pannonibus prospere in Turcos per hæc tempora dimicatum reperio. Nec ita multo post & in inferiore Myfia, quam hodie *Valachiam* vocant, majore aliquanto Turcorum clade. Piratæ interim ita maria infestabant, ut nihil uspiam tota

Supe-

Mellita
mors.